

**Disquisitionum practicarum  
gymnasma decimum octavum  
principia actionum mora...**

Wanochius, Andreas Jacobi,

11 Ae 8:o



ww5

# DISQVIVISIONUM PRACTICARUM

ΓΥΜΝΑΣΜΑ DECIMUM OCTAVUM,  
PRINCIPIA actionum moralium  
*immediata* expressius & ἀνακεφαλαιω-  
τικῶς evolvens, nec non actionum mo-  
ralium species, maximam partem  
qua κατεσκευηῖν recensiens;

Quod

SECUNDUM AMPL. FAC. PHIL.  
In Regia Acad. Aboënsi consensum,

PRÆSIDE

M. AND. VVANOCHIO,  
Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord.

Publici juris, ad ostendendum ingenii speci-  
men, facere decrevit

S. R. Maj. Stipendiarius

PETRUS MILTOPÆUS,  
Die benedicente DEO, 19 Novemb.

M. DC. LXXXVI.



Impr. apud JOH. WALLIUM, A.T.

*Βιβλίον τῆς Θεολογίας*

*Reverendissimo in CHRISTO Patri ac Domino,*  
**DN. JOHANNI GEZELIO,**  
S.S. Theologiae Doctori celeberrimo, Inelytae  
Dioceseos Aboënsis Praesuli eminentissimo,  
Pro-Cancellarioq; Regiae Universitatis itidem  
amplissimo, nec non Consistorii Ecclesiastici  
Praesidi gravissimo, Mecœnati & Patrono  
magno; obsequioso affectus zelo æter-  
num suspiciendo.

*Sicut etiam*

*Rerū civilium peritia, Cōspiciū, Cōsultiss. Clariss.  
& Reverendis Viris, Prœtoribus, Patronis, Fau-  
roribus ac amicis perpetim colendis, hono-  
randis, observandis:*

**DN. NICOLAO ALANO** Regii quod Aboæ  
est Parlamenti Assessori amplissimo, Ever-  
getæ & affini devoto officio prosequendo.

**DN. JOHANNI Rostamp** Territoriorum  
Dynastiæ Aboënsis in *Pijelis* & *Dalito* Ju-  
dici consultissimo.

**DN. M. GEORGIO Prye** / Pastori Ec-  
clesiarum *Korpoënsium* meritissimo:

**DN. JOHANNI Theles** / in Dynastiæ  
Wiburgensis territoriis *Stranda*, *Jestis*  
& *Eurapâ* Judici ut æquissimo, ita avuncu-  
lo amantissimo.

**DN. ELIÆ Sægh** / Verbi Dei ministro in *Pijelis*  
parentis instar æternum observando.

**DN. JONÆ WRIGSTADTIO**, in *Korpo* s-  
cellano, vigilantiss. & affini honorando.



Reverendissime Domine,

Amplissimi, Consultissimi Clarissime &  
Reverendi Viri,

**M**onitorum à beato Parète, de Ec-  
clesia Dei & Regia hac Universi-  
tate meritiss: quod citra jactan-  
tiam & verecūdè dico, paulo ante extre-  
mum tempus professorū, mihiq; instar  
patrimonii relictorum hac occasione,  
utinam opportune memor sum: neq;  
enim coram Amplissimis Dignitati-  
bus Vestris, illa confiteri erubesco, quæ  
per totam ætatē, velut certissima vi-  
tæ cynosura mihi sunt commendata.  
*Prius* illorum erat, cultus summo  
Numini devote deferendus; *posterius* Me-  
cœnatum, honore mactandorum, re-  
verentia. *Illius* cura proh dolor! mini-  
ma cernitur in hominibus: *hujus* deside-  
rio detentos per paucos esse video. Illud  
ipsum inculcare monitum videtur sen-  
tentia.

tentia cuilibet commendabilis, quæ  
jubet *cunctis* se exhibere *benignum, ne-  
mini blandum, familiarem paucis, oranti-  
bus æquum*. Radius ergo, qualis à  
me provenire poterit, officiorum de-  
bitorum singularia *Vestra* evehet me-  
rita ac in me collata beneficia, quæ  
- - - *Sunt cuncta meo majora relatu;*  
*Vincit opus Famam, nec sermo suppetit actis.*  
Vos modo *Patroni & Fautores* observandi,  
sepositis officiorum *Vestrorum* gra-  
vioribus curis, fragmentum hoc Mo-  
rale *Præclarissimi Viri* lucubrationibus  
extructum, porrecta fronte inspicite,  
mihicq; solitæ gratiæ *vestræ* auram sem-  
per lucidiorem splendescere finite!  
DEum Ter: Opt: Max: calidis invo-  
catum eo & ibo precibus, quò sub a-  
lis ejus vitam ad arbitrium felicem  
quã diutissime vivatis, atq; sub ejus pro-  
tectionis ægide salvi sospitesq; agatis!

*Tuæ Reverendissimæ Dignitatis,*  
*Vestrarumq; Amplitudinum ac perquam Re-*  
*verend. Dignitatis, Revq; Humanitatum*

Devotissimus cultor

P. MILTOPÆUS  
M. F.

## CAP. VIII.

Principia actionum moralium,  
& quidem expressius, adeoq;  
actionum species evolvens.

## SECTIO I. κατσκευαστική.

## §. I.

**Q**uamvis in antecedaneis, dum de intellectu practico & voluntate, eorumque actibus fuimus solliciti, principia actionis moralis sint tradita; præsertim cum practica philosophia non nudæ θεωρίας gratia, quin potius πράξεως in intellectus & voluntatis naturam, ut debet, inquirat: cum tamen usus id apud omnes fere practicarum rerum Scriptores obtinuerit, ut speciatim & expressius principia actionum tradiderint, nec video mihi ego in ἀλλοτρίω χορῶν πῶδα τίθεσθαι, id est, alienis me miscere negotiis, sin illorum hic premam vestigia, eaq; ἀνακεφαλαιωτικῶς apponam, præsertim, ne aut lectoris utilitati parum, aut meæ ipsius minus litasse viderer. Sentiendum cum doctis, loquendum vulgo.

## §. II.

*Actio*, non hominis & physica, sed humana & moralis, quatenus in ultima præcisione sumitur, potest dici *motus physici*, seu naturalis, in homine ad bonum vel malum determinatio, mediante intellectu & voluntate facta; ut B. D. Dichtmarfus in system. Ech. Ubi (1) notandum, *actio* nem hic loci non capi (α) latissime, pro qualibet actione, etiam naturali & cum brutis communi, ut edere, laborare: δῆλον ἔν, ὅτι ὁ ἀνθρώπος τῶν πράξεων (puta μόνον) ἐστὶ γεννητικὸς; Arist. l. I. c. 12. magn. moral. neque (β) stricte, pro sola actione libera & voluntaria: sed (γ) late, pro omni actione, mores sive bonos sive malos referente, voluntaria & involuntaria, quæ ab homine expectari debet. (2) *Intellectum* & *voluntatem* non intelligi ἄσικωδῶς, sed ἐσπρητικῶς. Hæc *actio*, scilicet moralis, dividitur *ratione principiorum*, in ἐκύστων seu voluntariam vel spontaneam, & ἀκυστων seu involuntariam vel invicā, & mixtā: *Voluntaria* in bonā, & malam; *involuntaria* vero in violentam & imprudentem, de quibus infra. Utrum vero divisio actionis in bonam & malam gene-

generalior sit & amplior, quam ut latitudine τῆς ἐκπόης vel voluntariis contineatur? in Sectione sequenti patebit, quod & hic in antecessum negamus. Alias vero nota est, actiones etiam involuntarias vulgo & παχολῶς, tantum ex eventu, bonas appellari, scilicet cum res alicui ad nutum cecidit. §. III.

Primum ergo inter actionis moralis principia locum sibi vendicat potentia, eaque vel natura, vel juri, cum eo tamen discrimine, ut quod natura sua impossibile est, id quis moraliter dicatur non egisse, quoad ultimam τελείωσιν, licet quandoque quoad primam ἐπιχείρησιν, seu motum internum id egisse videatur: e. g. si eunuchus contraxerit matrimonium, conjugium in genere morum non est, quia naturaliter, ex defectu causae materialis, est impossibile; ideo & separatio eunuchi a muliere, proprie non est divortium, sed declaratio impossibilitatis. Quod autem Zonar. tom. III. annal. 90. refert de Pulcheria Augusta, quae Imperat. Theodosio defuncto nupsit Marciano, si fidem daret, se virginatatem Imperatrici illibatam servaturam.

curum; tum aliter forte de ea re sentien-  
dum: hoc namque conjugium revera e-  
rat conjugium, sed retractabile, quia  
*ἀδυναμία* illa solum est juris. Quod ve-  
ro ex præscripto *juris* est impossibile fa-  
ctum, id quidem factum dicitur, sed ut a  
superiori retractari & in irritum revoca-  
ri queat: sic juramentum Herodis con-  
tra justitiam & τὸ καλὸν revera fuit ju-  
ramentum, sed quia iniquum & juri tam  
divino quam naturæ contrarium, potue-  
rat revocari in irritum. Conter Num.  
XXX. 6: nec enim juramentum ideo ef-  
se desinit, quia iniquum, alias *ἀνομιαν*  
Neronis &c. non fuisset *ἀνομιαν*; ta-  
men erat revocabile. Vid. B. D. Dann-  
haw. auctaria. Qui vero hoc principium,  
puta *potentiam*, omittunt, præsumen-  
di sunt id præsupponere.

## §. IV.

Alterum *actionis voluntariae* princi-  
pium est *scientia* seu *conscientia*, nō quidem  
de facto, seu consequens factum, quia sic  
non foret principium; sed de *faciendis*,  
seu *factis* antecedens. Est autem *scien-  
tia*, vel *conscientia* *judicium intellectus*,  
*discernens quid in vita sit bonum, aut  
malum*

*malum, quid faciendum aut omittendum*  
 Vid. supra p. 379. Secundum Scholasticos  
 conscientia vel ( $\alpha$ ) est recta, *qua recte &*  
*firmiter judicat, quid faciendum aut o-*  
*mittendum sit: vel ( $\beta$ ) erronea, que fir-*  
*miter, sed non recte judicat: vel ( $\gamma$ ) pro-*  
*babilis, que non firmiter, sed saltem proba-*  
*biliter judicat, nesciens utri contradi-*  
*ctionis parti sit adberendum: vel ( $\epsilon$ ) scru-*  
*pulosa, que quid licitum aut illicitum*  
*judicat, sed ita ut subfit scrupulus.* In-  
 terim negari non potest, alios tres priores  
 conscientiz species tantum admittere,  
 cum nec *dubiam* proprie conscientiam,  
 quia nihil certi judicat, nec *scrupulosam*  
 ab aliis distinctam dicant esse speciem: ve-  
 rum ut iudicium intellectus tantum a-  
 gnoscunt triplex, vel *rectum*, vel *errone-*  
*um*, vel *probabile*, ita & triplicem con-  
 scientiam, cum ea nihil sit aliud, quam  
 intellectus iudicium. Scholastici vero di-  
 cunt dubitationem & trepidationem ali-  
 quando appellari intellectus iudicium:  
 nam intellectus practicus, *inquiunt*, aut  
*statuit* aliquid agendum, aut *dubitat*, aut  
*trepidat*, credens anxie quicquam posse  
 agi sine peccato. Si *statuit*, aut *statuit fir-*

miter, aut non firmiter: si firmiter, aut vicissim recte & vere, unde emergit conscientia recta; aut falso & non recte, & est conscientia erronea: si non firmiter, sed probaliter, tum nascitur conscientia probabilis: si dubitat, dubiam conscientiam, si vero hesitat aut trepidat, scrupulosam oriri ingeminant. Vel hoc modo: Intellectus aut intelligit quid sit agendum, aut non intelligit: si prius, vel intelligit sine scrupulo, vel cum scrupulo: si cum scrupulo, dicitur conscientia scrupulosa; si sine scrupulo, cum intelligit vel firmiter, vel non firmiter; si firmiter, vel recte, unde conscientia recta, vel erronea, unde erronea: si non firmiter, sed probabiliter tantum, sit conscientia probabilis: si vero posterius, dicitur conscientia dubia. Videbis Becan. tract. I. de bon. act. intern. c. 4. q. 9. si quis τριχοτόμιας malit, fere per nos licebit.

## §. V.

Tertium hic locum meretur *Voluntas*, principium spontanei intrinsecum, estque ipsa appetitio boni ab intellectu propositi. Vide supra p. 417. Hic tamen observa (a) voluntatem dici principium spontanei

nei intrinsecum, non *exclusive*, quasi scientia non sit intrinseca, sed κατ' ἐξοχήν, quia ab ea actiones imperatae sunt proxime, unde etiam ab eadem denominantur *voluntariae*; scientia vero non est principium actionis extra se, nisi mediante voluntate. Deinde (β) τὸ *voluntarium* & *spontaneum* a quibusdam confundi, nec ullum in Aristotele reperiri inter hos terminos discrimen, eum uterque sub nomine τῷ ἐκείνῳ veniat, quemadmodum & in Sacris, Rom. VII. 20. & 1. Cor. IX. II. vox ἐκείνῳ usurpatur de creatura rationali & irrationali: unde ad spontaneum dicunt duo requiri, *scientiam* & *voluntatem*. Cum tamen genius linguae graecae hic sit laxior ac latinae, non immerito quis maioris evidentiae causa *spontaneum* brutis, *voluntarium* homini reservabit, adeoque distinguet inter τὸ ἐκείνῳ ἑαυτοῦ Aristotelis definitionem consideratum, & extra eandem usurpatum. Vide ea quae supra in hanc rem praemisimus p. 435. 436.

## §. VI.

His accensentur duo adhuc principia, *consultatio* & *electio*; illa ad *scientiam*, haec ad *voluntatem* referri potest & debet.

*Consult-*

*Consultatio est actus intellectus, quo in arduis deliberamus, quibus mediis finem consequamur. Notanter adponitur, in rebus arduis: nam non consultamus*
  
*(a) de rebus extraneis, quæ non sunt ἐφ' ἡμῶν, nec nostri sunt juris nec officii. Neque: (β) de naturalibus & necessariis, utpote de hyemis rigore, de statura nostra &c. Nec (γ) de fortuitis: non (δ) de præteritis: non (ε) de ridiculis: Neque (ζ) de fine: sed de mediis: intellige finem ultimum, primario & absolute talem. Βαλευόμεθα δὲ περὶ τῶν ἐφ' ἡμῶν πρακτικῶν, Arist. lib. III. Eth. c. 5. Electio, προαίρεσις, est actus voluntatis, quo post consultationem ex illis, quæ a nobis fieri possunt, optimum eligimus: ἀρχὴ γὰρ ἐστὶ πράξεως καὶ σπουδαίας καὶ φεύλης, προαίρεσις καὶ βύλησις καὶ τὸ κατὰ λόγον πᾶν. Arist. l. I. magn. mor. c. 12. Nota (α) electionem esse iacius quid præelectione, quæ respicit præcedentem consultationem, quam non requirit electio. (β) Consultationem & præelectionem differre, quod illa sit actus intellectus, hæc voluntatis; illa præcedat, hæc sequatur; illa investiget media, hæc investigata apprehendat & idonea eligat: ratione*

ratione tamen objecti, circa quod, convenire.

## §. VII.

Ex hisce igitur principiis tandem pro-  
dit *actio moralis voluntaria*, illa autem est,  
cujus principium est in ipso agente, sci-  
ente singula, in quibus est ipse actus. Per  
singula intelliguntur circumstantiæ, quæ  
vulgari hoc versu significari solent:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur,  
quomodo, quando?*

Ex his principales sunt, *quid* & *cur* quis  
agat, atque *quomodo*: alix minus princi-  
pales. Nulla autem ex illis, in quibus a-  
ctio consistit, vel quæ ad ejus substantiam  
pertinent, ut sit voluntaria, debet igno-  
rari: alix vero salva actionis substantia,  
quæ ad eam non pertinent, quandoque  
ignorari possunt. Quando vero illæ cir-  
cumstantiæ dicuntur de actionis essentia,  
vel ipsa actio voluntaria in illis consistere,  
tum tenendum, quod *actio* consideretur  
vel in *esse natura*, vel in *esse moris*: ibi  
circumstantiæ sunt extrinsecæ, & ad sub-  
stantiam actus non pertinent: *hic* vero  
sunt intrinsecæ & ipsam substantiam essen-  
tialiter adeo efficiunt, ut, si deficient, ex  
volua-

554 DISQUISIT. PRACTIC  
voluntaria faciant involuntariam. Sic  
ad homicidium *physice* spectatum, nihil  
interest, qua intentione, quoque instru-  
mento patratum sit: interest autem si  
consideretur *moraliter*. Vid. Slevogt. eum-  
que allegantem D. Rudrauff. p. m. 101.

§. VIII.

Talis denique *actio moralis procreta*,  
vel est *bona*, quæ cum lege eterna & re-  
cta prudentis ratione congruit; vel *ma-*  
*la*, quæ legi eterna & rectæ rationi *dis-*  
*formis* est, aut *disconvenit*. Unde au-  
tem hæc actionum bonitas sic æstimanda,  
Sectio sequens aperiet. Et tantum de *a-*  
*ctione voluntaria* ejusque principiis.

§. IX.

*Actio involuntaria*, seu *invita* est, cu-  
jus principium aliunde provenit; Vel  
per violentiam, unde *violenta*; vel per  
ignorantiam, unde *imprudens* dicitur. Ru-  
drauff. *δοξῆ δὲ ἀνάσσει τὴν βίαν ἢ δὲ*  
*ἀγνοίας γνώμῃνα* Arist. l. iii. Eth. c. 1.  
Discriminatur ergo *actio voluntaria* ab  
*involuntaria*, quia illius principium est  
*intrinsecum*, hujus *extrinsecum*, sive sit  
externa violentia, sive ignorantia. *Actio*  
*involuntaria violenta* est vel *proprie* ta-  
lie,

lis vel mixta. Illa est, cujus principium extrinsecus ejusmodi adhibetur, ut id cuius inferitur, nullam prorsus operam conferat. Vel ut Arist. c. Βίαιον δὲ ἢ ἀρχὴ ἔξω. Ἰσὺς, τοιαύτη ἔσται, ἐν ἣ μὴδὲν συμβάλλεται ἐπὶ πράξεων, ἢ ὁ πάσχαων. Hic autem notandum (α) quod τὸ violentum non opponitur naturali, sed voluntario; quia illa violentia, quæ rebus voluntate carentibus inferitur, non reddit actionem involuntariam *privative* sed *negative* talem; cum privatio præsupponat habitum. Ergo, ubi nulla voluntas, ibi nulla actio involuntaria *privative* talis: sic naves Æneæ tempestate abreptæ, non possunt, si rigrose loquamur, trahi ad exemplum actionis involuntariæ, nisi quis μετὰ νομικῶς voluerit per easdem intelligi nautas & vectores. Deinde (β) notandum, quod actio violenta requirat (1) principium extrinsecum, seu urgentem aliquam necessitatem, quæ sit extra agens & patients; (2) principium externum validius & fortius, quam ut ab agente vel patiente possit reprimi: (3) ut agens vel patients nihil voluntatis, operæ vel adjumenti, ad actionem producendam conferat, quin potius

tius consensum retrahat, & in in ipso etiam actu reclamet. Ex hujus requisiti defectu patet, eum qui trahitur e puteo, licet vis agendi vel trahendi sit aliunde, & licet vis illa sit fortior trahendo, non trahi per actionem sibi involuntariam; quia huic actioni & consentit, & quantum in se est cooperatur. (y) Subiectum actionis violentæ est vel *agens*, quando quis ex illata violentia cogitur coagere quid; ut si quis me invito manum meam arripiat, eaque arrepta me vel alium tundat, tum dicor quidem agere, sed coacte & violententer: vel *patiens* quando quis nihil agit, sed simpliciter patitur violentiam alterius; ut fur conjicitur in carcerem; nauis vi ventorum allidit ad scopulos. Exempla sunt in historia passim obvia: Lucretia violenter a Tarquinio, si modo consensus absuit, & dolor turpitudinem excepit, stuprata. Liv. dec. 1. Judæi hædera coronati ab Antiocho *μετὰ τικρῶς ἀνάγκης*. 2. Maccab. vi. 7. 8.

## § X.

*Actio mixta est, quam in se, tanquam malam nolamus, comparate autem propter certas circumstantias eligimus. Mix-*

tæ dicuntur, quia partim sunt voluntariæ, partim involuntariæ: voluntariæ ratione ultimæ præelectionis; involuntariæ ratione primæ consultationis. Quærenti autem, utrum *voluntariis*, an vero *involuntariis* sint similiores? respondendum cum philosopho, quod magis accedant ad naturam voluntariarum: *οἰκασίαι δὲ μᾶλλον ἐκαστοῖς ἀρεταὶ γὰρ εἰσι τότε ὅτε πράττονται*; hoc est, *similiores tamen sunt*, puta actiones mixtæ, *voluntariis sunt enim optabiles & eligenda, tum cum aguntur*. Arist. lib. iii. Eth. c. i. Probari id potest, (α) quia istarum actionum fines & circumstantiæ in nostra sunt potestate, adeo ut penes nos sit agere vel non agere; tunc vel alias: (β) quia istarum actionum principium & causa est in ipso agente; sic mercator, si vult oborta tempestate ad evitandum discrimen vitæ, merces ejicere, ejicit. sin minus, experitur extrema, & non ejicit: (γ) quia habent laudem vel vituperium, præmium vel poenam. Sed si quærratur, *an tales actiones mixtæ rectius dicantur simpliciter sive absolute voluntariæ, & secundum quid involuntariæ? an vero versa vice*

*vice secundum quid voluntarie, & simpliciter invita?* Resp: rō simpliciter voluntarium tripliciter potest intelligi: vel (a) *eminenter* ratione summæ perfectionis, & sic id dicitur *simpliciter voluntarium*, quod omnem prorsus excludit violentiam & ignorantiam circumstantiarū; hoc modo solius Dei actiones sunt simpliciter voluntariæ; vel (β) *absolute, nude & in se*, citra collationē circumstantiarū oppositi mali; quo modo actiones mixtæ, quæ ex metu fiunt, recte dicuntur simpliciter, id est absolute, & sine respectu circumstantiarum, invitæ: (γ) *comparate & respective*, cum collatione oppositi, & respectu circumstantiarum: eo modo sunt *simpliciter voluntaria*, quia omnibus expensis circumstantiis, & in comparatione oppositi, voluntarie & libere eliguntur. Hic obiter nota, quod *actio* illa, quæ ex metu & circumstantiis aliis mixta dicitur, vel *laudatur*, vel *vituperatur*, vel *condonatur* seu excusatur. *Laudatur*, quando quis invite sive cruciatus, sive jacturam pecuniæ &c. cum dolore & dedecore suscipit, propter magnum bonum consequendum, & evitandum malum.

lum. Sic Solon simulavit dementiam, ut legem perniciosam, de non vindicanda insula Salamina, abrogaret. Just. l. II. c. 7. Hujusmodi factum est Lycurgi exilium, Just. l. III. c. 3. M. Attilii cruciatus & miseria ob observantiam jurisjurandi, Cic. l. I & III. off. De Scævola vid. Liu. l. II. de Zopyro Just. l. I. c. 20. Huc etiam Martyres referunt, & circumcisionem Timothei, ut Judæos lucrifaceret. Act. XVI. 3. *Vituperatur*, quando quis turpe admittit, quod tamen nunquam est admittendum, quicumque etiam siis prætexatur, vel minus decorum agit exigui commodi causa, ut avari. Exemplo sint Vespasianus, Esau, Lucretia, Marcus Curtius, omnes apostatae &c. *Condonatur* & commiseratione excipitur, quando quis propter maximos dolores, persecutiones intolerabiles &c. quæ humanas vires & patientiam superant, minus decora & honesta admittit: exempla prostant ubivis.

## § XI.

*Actio hæc mixta*, de qua loquimur, appellatur B. D. Ditmarso in system. Echio lib. II. *actio involuntaria negativa*: dividit enim *actionem involuntariam* in  
*negati-*

*negativam*, qua quis factum aliquod a-  
 versatur, sed tamen illud efficaciter  
 impedire non conatur; sic peccata fiunt  
 Deo volente, sc. ἀρνητικῶς vel negative,  
 quia ipse eadem detestatur, prohibet &  
 punit, & tamen eadem permittit ob bo-  
 num aliquem finem; in qua permissio-  
 ne duo, *inquit*, concurrunt, *voluntas* &  
*noluntas*; *noluntas* respectu objecti, quia  
 Deus peccatum, quod objecti rationem  
 habet, aversatur & odit; *voluntas* vero  
 respectu finis, quia DEUS ob bonum finem  
 peccata permittit; & *positivam*, qua quis  
 factum aliquod non solum improbat &  
 aversatur, sed & illud efficaciter impedi-  
 re conatur; verum a potentiori supera-  
 tur, & ad agendum cogitur contra vo-  
 luntatem suam; quæ actio est absolute  
 violenta. Et paulo inferius: Hic patet,  
 quam perperam Calviniani discrimen in-  
 ter nolle & non velle tollant, cum ta-  
 men hæc quatuor, *velle*, *nolle*, *non velle*,  
*non nolle*, accurate distinguenda sint.  
*Velle* significat aliquid ex interno prin-  
 cipio approbare, eligere & suscipere: *Nol-  
 le* significat apertum, non tantum aver-  
 sandi & improbandi, sed etiam pugnandi  
 studium

studium: quod tanquam a principio externo ita reprimatur, ut nolens actionem suscipere cogatur: *non velle* importat quidem studium averfandi, sed tamen non aperte repugnandi & impediendi, cum repugnare & impedire posset. *Velle* igitur & *nolle* sunt contraria, quia *illud* significat aperte affirmare, *hoc* vero aperte negare: Sed *velle* & *non velle*, *nolle* & *non nolle* sunt privantia, quia *non velle* tollit ἐνέργειαν, & significat volitionis negationem; *non nolle* vero tollit τὸ ἀκέραιον, & significat studium non repugnandi vel impediendi. Ubi tamen diligenter notanda est distinctio, *inquit*, inter *nolle negativum* & *nolle positivum*; illa quæ de *nolle* diximus, de *nolle positivo* intelligenda sunt; alias enim *nolle negativum* cum *non velle* coincidit, id quod contra Calvinianos diligenter observandum est. Hæc ille. An vero actio *involuntaria negativa*, prout a laudato B. Duhmarso definitur, per omnia cum *actione mixta* morali coincidat, videat qui rationem recte in gyrum novit agere.

## § XII.

*Actio involuntaria imprudens est, quam*

Nn

ignarus

ignarus circumstanciarum agit, fraudis  
 & culpa vacuus, ac ob malum admissum  
 corde contritus. Quae in descriptione tria  
 dicuntur: (α) quod quis agat ex ignorantia:  
 (β) absque dolo & fraude: (γ) ut  
 subsequatur penitentia seu dolor ob ad-  
 missum facinus: quod recte ex Aristotele  
 Rudrauffius; Verba vero Aristotelis l. iii.  
 Eth. c. 2. sunt: ἀνεύσιον δὲ, τὸ ἐπιλυπον,  
 ἐν μεταμέλει αὐτῷ. Quin & notandum,  
 (1) ignorantiam & nescientiam differre,  
 ut privationem & simplicem negationem:  
 illa non excludit omnem scientiam, sed  
 tollit tantum debitam, secundum quam  
 agi oporteret: haec vero tollit omnem  
 scientiam; qualis in lapidibus, vel in pu-  
 eris, in furiosis &c. (2) Aliud esse ex i-  
 gnorantia agere, aliud ignorantem, seu i-  
 gnorantem agere, quamvis confuse huius-  
 mini vulgo usurpentur: nam ex ignorantia  
 agere quis dicitur, quando ignorantia  
 est causa agendi, adeo ut non egisset,  
 nisi ignorasset. Dixi causa agendi, non  
 quidem exquisita, proprie, de causa phy-  
 sica & positiva; sed populariter loquendo,  
 quodammodo improprie, & de causa mo-  
 rali,

*rati*, cum ignorantia sit privatio, & privatio non sit causa rei positivæ physica & proprie: dicitur autem causa quia scientia actionis contrarium effectum producit, atque tollit omnia ea, quæ actum ex ignorantia faciunt committendum: ergo sicut ignorantia causa est cur tollatur scientia, ita & causa est, cur tolluntur ea, quæ a scientia provenire possunt. *Ignoranter* vero vel *ignorantem agere*, inducit quidem aliqualem ignorantiam, sed eam quæ non sit causa agendi; verû actio ei adscribenda, unde illa ignorantia profecta est. E g. si ebrius ignorans quid agit, causa agendi non est ignorantia, sed vinum, quod & ipsam causatur ignorantiam:

## §. XIII.

*Ignorantia* vero, alia est *involuntaria*, alia *voluntaria*: ignorantia *involuntaria* vel est *negative* mera nescientia, ejus quod quis nec scire poterat nec debebat; vocatur alias Scholasticis ignorantia *invincibilis* & *anteccedens* voluntatem, quia est sæpe causa, ut quis aliquid velit, quod si sciret, non vellet: causa volûtatis, ut dictû, duntaxat per accidens, ut absentia nau-

cleri est causa naufragii, quia removet naufragii impedimentum, id est naucleri presentiam, quæ naufragium fuisset impeditura. Aristoteli hæc ignorantia appellatur ignorantia κατ' ἀπόφασιν, vel *privative* se habens: *Ignorantia involuntaria negativa* subdividitur iterum in *ignorantiam juris & facti*, utramque *invincibilem*: *Ignorantia juris* invincibilis est, cum quis nec debuit, nec potuit jus illud, in quod peccavit, scire. Sic Imperator Caligula indixit vestigalia, & alia jura sancivit, sed illa non promulgavit, vel minutissimis ea literis describi ac in angustissimo loco appendi curavit; ut Sueton. *in Calig*: in istarum legum transgressore fuit ignorantia juris invincibilis, ac pœna de eo sumpta fuit tyrannica. *Facti* vero ignorantia est, cum quis factum aliquod ignorat, quod nec scire poterat nec debebat, ut quis nescit aliquem peregre profectum vita excessisse, & ita differt quæstionem hæreditatis. *Ignorantia privativa* est ejus, quod quis & scire poterat & debebat: a Scholasticis vocatur *vincibilis*, ab Aristotele vero in analyticis κατὰ δάξαν: estque iterum

rum *juris*, sive *universalis*, cum quis ignorare se dicit præcepta juris naturæ, quamvis omnibus evidentissima, sive *particularis*, ut cum iudex vel alius ignorat jura sui regni, in quo vivit: vel *facti*, cum quis ignorat factum aliquod, quod scire poterat.

## §. XIV.

*Ignorantia voluntaria* vel est *vera*, vel *simulata & affectata*. *Vera* vel est *voluntaria simpliciter* ipsoque actu, & dicitur alias *concomitans*, quia comitatur voluntatem, cum quidem, quod quis facit, ignorans facit, sed idem facere vellet, si vel maxime sciret: e. g. si quis hostem ignorans interficeret, cum rō ignorare & rō velle in eodem essent subiecto, nec tamen ignorantia voluntatis esset causa, (quia etiamsi non ignotaret, vellet tamen) nec voluntas ignorantia: vel est *voluntaria virtualiter & in sua causa*, quia causa, qua sibi hanc ignorantiam contraxit, fuit voluntaria: e. g. qui peccat ebrius, volens hoc fecisse videtur, quia causa ebrietatis ac ignorantia inde contracta fuit voluntaria: hæc alias dicitur *consequens*, quia sequitur voluntatem

agentis. Hæc ignorantia voluntaria rursum est duplex, vel *dispositiva*, cum ex affectu quopiam aut levi de causa consensimus in causam ignorantiam, ut patet in actu aliquo per profundam ebrietatem commisso; vel *habitualis*, cum constanti quapiam consuetudine istam nobis ignorantiam in suscipiendis consiliis attraximus; quemadmodum evenit in actibus per ebriositatem, libidinofam vitam &c. perpetratis. Hinc distinctio inter ebrietatem & ebriositatem, Denique Ignorantia voluntaria simulata & affectata est, cum quis simulat se ignorare, quod scire noleret; ut in versu exprimitur:

*Insipiens in corde suo, non est DEUS  
ullus,*

*Dixit, at hoc nullus credidit insipiens;  
Insipiens si nemo DEUM negat esse,  
quis ergo*

*Atheus est? nullum qui cupit esse  
DEUM,*

S. XV.

Hic obiter nota (α) ignorantiam affectatam esse odium fugamque scientiæ & veritatis sibi perspectæ, qualis in atheis:  
*supi-*

*supinam* esse contemptum scientiæ obre-  
dium laboris &c. quæ in dissolutis: *cras-*  
*sam* vero esse eam, quæ neque cum odio,  
neque cum contemptu conjuncta est, sed  
ex mera & gravi quadam socordia pro-  
venit; qualis in feris & agrestibus conspi-  
citur hominibus. (B) Nota inter modos  
ignorandi supra memoratos plurimum  
interesse: nam *alii* (1) factum reddunt  
plane non factum moraliter, quia obis-  
lud nemo vel bene vel male fecisse dici-  
tur, nemo vel laude vel vituperio affici-  
tur, nemo præmium meretur vel pœnam;  
quo pertinet omnis *ignorantia involun-*  
*taria negative* se habens, tam *juris* quam  
*facti*: *alii* (2) factum vel bonum non  
tantopere laudant, vel malum excusant  
& liberant a pœna, licet non in totum,  
tamen in tantum: quo refertur *ignorantia*  
*voluntaria privativa*, quæ est (a) *ju-*  
*ris particularis*; quæ est (b) *facti*; quæ  
est (c) *voluntaria vera*, sed *virtualis*;  
quæ est (d) *virtualis dispositiva*; cum in  
omnibus hisce invenias, quod reprehendas,  
& iterum quod excuses: *alii* (3) factum plane  
reddunt vel laudabile vel damnabile; quo  
reducitur (a) *ignorantia privativa*, eaq;

§68 DISQUISIT. PRACTIC  
*juris universalis (b) voluntaria, vera,  
actualis, habitualis & simulata; quarum  
ultima omnium est pessima, quia simul  
est mendacium. Confer hæc omnia cum  
supra dictis, & B. D. D. Dannhaweri  
auctariis.*

SECTIO II. ἀναγκαστική.

QVÆSTIO I.

An actio moralis etiam interiora  
respiciat? Aff.

§. I.

Familiaris est quæstio apud Ethicos,  
*an sit de ratione honesti, esse spontaneum?*  
vel, an nulla actio dici queat honesta, ni-  
si quæ sit voluntaria, ut principium a-  
ctionis sit in agente, sciente omnes cir-  
cumstantias? Quod omnino dicendum  
esse statuunt: quia, ubi invite agimus, vel  
per vim exteriorem compulsi, ut actionis  
principium non sit in nobis ipsis, sed ex-  
tra nos; vel per singularium circumstan-  
tiarum ignorantiam; tum dicitur actio  
talis, licet *materialiter* sit bona, non ta-  
men satis honesta *formaliter* & ratione  
nostri. Ita quæri solet etiam, *an & mala*  
sponte

*sponte agamus?* quod itidem omnino affirmandum est, ni velimus libertatem arbitrii elevare, peccata citra noxam admitti, & DEum dicere malorum auctorem &c. Ergo *Stoicis*, fatalis necessitatis patronis, contrariam sententiam iniquimus, quam etiam *Platonici* tribuere siveverunt, quasi defenderint, in hominis quidem potestate esse bene agere, sed male non æque; eruunt autem hujus opinionis in Platone prima fundamenta e *Timæo*, ubi sic: *nemo sponte est malus, sed propter malum habitum corporis & malam educationem malus fit.* Nec roborat illam sententiam hæc instantia: *sicut inviti & non volentes laboramus morbo corporis, ita & morbo animi*: quia falsa est consequentia, & ratio plane dispar morborum animi & corporis: nam (α) morbus *animi* conjunctus est cum quadam voluptate & delectatione, *corporis* autem cum quodam dolore: sic etiam actio vitiosa anime morbus est liber & spontaneus, ægritudo vero corporis etiam ab invitis est ferenda, estque sæpissime per naturalem necessitatem, sive velimus, sive nolimus. (β) Falsum est antecedens universaliter acce-

ptum: potest enim quis ægrotare, si vivat incontinenter, & medicorum præcepta aspèrnetur; sicut ex intemperantia oriuntur *febres, podagra, dolores capitis, hydropes* &c: & qui ejuscemodi morbis ex intemperantia ortis laborant, sponte sua laborare dicuntur. Huc referri debent damna & dolores, propria nostra culpa & petulantia contracta: v. g. si quis temere saltitando per scamna, mensas, sellas, frangat pedem vel manum, non tam commiseratione quam reprehensione dignus est: ita temerario duello confligens, dum forte amittit oculum, manum, &c. sponte sua id damni accersivisse dicendus est. Unde quædam corporis mala dicuntur *naturalia*, ex naturivitate tracta; quædam *voluntaria*, nostro vitio accersita; quædam *casualia*. Ex quibus constat, esse & mala corporis, quæ dicuntur *voluntaria antecedenter* & remote, quamvis non semper *consequenter* immediate & proxime. Sed ad quæstionem propositam.

## §. II.

In superioribus dictum est, *actionem moralem esse vel internam, quæ suum esse*

esse habet in conceptu voluntatis & intentione producendi; vel *externam*, quæ est quasi quoddam concretum ab actu interno, & productione ejusdem actus exteriori. In *interna* autem actione duplex spectari potest bonitas, *naturalis* & *moralis*: *Illæ* consistit in integritate seu aggregatione eorum omnium, quæ naturaliter requiruntur in entitate actus: *hæc* vero in integritate & aggregatione eorum omnium, quæ conveniunt actui, non absolute ex natura actus, sed secundum rectam rationem, ut definit Scotus in *II. d. 40. qv. 1.* Vid. Thom. *qv. xlix. art. 4.* Contra hæc statuunt nonnulli, præsertim in recensendis distinctionibus inter *virtutes theologicas*, & *morales* seu *ethicas*, dum dicunt *illas* interiora quoque componere, *hisce* autem sufficere exteriorem cum præscripto legis conformitatem. At falsa est illa sententia, vel iudicio Ciceronis l. *iii.* Off. ubi disputans, nihil esse utile, quin simul honestum sit, inquit: *salus vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quiaquam audebit, quod non audeat predicare.* Et in Orat. pro Sylla; *ita vivere regium esse*, dicit,

ut non modo homini nemini, sed nec cupiditati inserviat ulli. Sane nihil minus est quam civiliter beatus, qui *externe* saltem se componit ad præscriptum legis, non occidendo, non furando, non scortando &c; *interne* vere cruciatur affectuum æstu, & impetu voluptatum. Probatum hoc, puta quod *actio moralis etiam interiora respiciat*, e requisitis actionis moralis, quæ sunt, (a) quod agens sit sciens; (b) quod debeat agere ex certo animi proposito & consilio; (c) amore solius virtutis & honestatis; (d) firma & constanti animi voluntate; (e) cum quadam jucunditate & voluptate. Respicit ergo *virtus etiam moralis interiora*, & non tantum *theologica*, quamvis hæc longe subtiliorem, exquisitiorem & perfectiorem rectitudinem requirat, adeo ut nec una adversa cogitatio sine vitio sit admittenda, quam *illa*, quam una adversa cogitatio non destruit, sed perpetua turpis intentio, tandem in actum desiderans prorumpere. Scilicet Ethica non est contenta exteriori illa convenientia, ut iudex & legislator forensis; sed imprimis componit interiora, adeo ut verum sit illud

ericum: *Omnis actio moralis sumit ab intentione gravitatem.*

## QVÆSTIO II.

Quot modis detur peccare in conscientiam?

### §. III.

Conscientia, *συείδησις*, si vocem spectes, duplicem involvit scientiam, unam *habitualem*, quæ vel est ipsum *jus nature*, cordibus nostris inscriptum, vel *memoria recte vel secus actorum*, quæ ipsa quoque scientia est in actu primo: alteram *actualem*, scilicet cum nos legi innatæ actu secundo consentimus. Est igitur conscientia *formaliter* aliquis *actus mentis*, (ut dicitur B D Dannhæverus) cujus objectum est scientia legis innatæ & memoriæ nostræ; est enim scientia scientiæ & is *actus* vel est *directivus*, qui factum antecedit, vel *judicativus*, qui sequitur, hominemque absolvit vel damnat. Hic autem consideratur conscientia, ut principium actionis directivum ante factum; prout in Sect. *κατασκευ.* § IV. fuit monstratum, de qua etiam in præsententi quaeritur. Ergo (a) *qui sequitur*  
con-

*conscientiam rectam & certam, nunquam peccat: & versa vice, qui contra eam admittit, peccat gravissime; quia sciens & volens agit contra id, quod jure divino & humano notorie est definitum. Exemplo sunt Judæi, de quibus Paulus conqueritur, quod gloriantur in Deo, & acquiescant in lege &c. tamen recte non ambulent. Caveant sibi Judices, ne in judiciis Pilatum imitentur, dum sufflaminata conscientiarum lege, reum absoluunt, & damnant innocentem. (B) Cujus conscientia nititur rationibus probabilibus, is sequi debet viam tutiorem, non probabiliorum: Sic medicus morbo desperato non debet adhibere medicinam desperatam; quia, licet sit probabilius, morbum tali medicina dispulsum iri, tamen non est tutius, cum fieri possit, ut ea adhibita homo moriatur: tutius autem est, in quo non pecces. (Y) Qui sequitur conscientiam erroneam vincibilem, in re perse turpi ac legibus prohibita, is sive secundum sive contra conscientiam agat, peccat. Peccat, inquam, si secundum eam agit, quia est vincibilis: si contra, quia patet est agere contra legem, quam sibi, licet falso*

so

so, persuadet esse divinam. (d) *Qui sequitur conscientiam erroneam invincibilem in re indifferenti, nec legibus concessa, nec prohibita, is demum delinquit qui contra conscientiam agit, non qui secundum conscientiam: ut cum quis accipit ab amico pecuniam, non scire potens, an furto vel jure sit acquisita, si furto sit acquisita, non peccat dum dat elemosynam, quia id ipsum scire non potuit.* (e) *Qui agit conscientia dubia, quomodo docunque agit, peccat; quia & nihil illa judicat, & æque paratus videtur agere, qui agit illa, contra ac secundum legem. Exempla vide Rom. xiv. 13. 25. 1. Cor. iix. 4 &c.* (f) *Conscientia speculative dubia, practice tamen certa, sequi debet judicium practicum in lege aliqua fundatum* Sic duobus Regibus belligerantibus, dum uterque justam belli causam prætendit, ejus castra sequenda sunt, cujus es subditus; quia judicium tuum dubitat de natura causarum, certum tamen est ex lege divina & naturæ, Regi obtemperandum, & patriam defendendam esse. Rursum; licet particula quædam legis civilis tibi videretur injusta, tu ta-

men eam satis non posses refellere, in ea tibi acquiescendum foret; quia, ut dicunt, *qui cum lege errat, non peccat.* Majoris ergo conscientia facienda, quam aliquis scrupulus: unde recte dico: *Qui secundum scrupulum agit contra conscientiam, peccat; non vero, qui contra scrupulum & secundum conscientiam.* Proximum hic foret, quosdam casus conscientiae formare, formatosque secundum regulas hic praescriptas examinare: v. g.  
 (1) *An iudex secundum acta & probata renitente conscientia, an vere secundum tenorem conscientiae, debeat judicare?*  
 2) *An liceat Lutherano inter Pontificios agenti, statis a Rom. ecclesia temporibus abstinere carnibus? vel pontificio inter Lutheranos, carnes. iisdem temporibus edere?* (3) *An cum quis de debito tibi incerto te convenit, debitum fateri vel negare tenearis?* Et qui sunt casus huius farinae alii. Nos vero primum casum in capite de *justitia* proponere decrevimus, reliquos a Casuistis jubemus petere.

PETRUS MILTOPŌEUS

Αναγγελμαλιζόμενος,

Ō PETES, MŪLTŌ PRIUS.

*Elaboratio:*

**E**N sibi jam PETRUS, sancto solamine MILTOPŌEUS adesse potest, cogitet hæc modò:

Ecce PETES dicens: Deus ō miserere meorum.

MULTŌ PRIUS verbo hoc, audiet anima Trias!

*L. Mid.*

ENEVALD. SVEN  
Q. G. A.  
S.S. Theol. D.

In

In  
*Opera quondam Parentis filium band  
degenerem,*

DN. PETRUM MARTINI MILTOPEUM,  
Honestissimarum Artium sectatorem indefes-  
sum, publicè Disputaturum, Amitiam  
meum perdilectum:

PETRUS MARTINI MILTOPEUS Aboëns.  
*per anagrama:*

TEM. NITITUR. POENA. SOBOLES. SUM. RAPIS.

**Q** Vicunq; in collem virtutis, ITEM Arcem  
ad honoris

NITITUR ardenti curâ, non constituetur  
POENA illi; verum jucunda & pulverulenta  
præmia constabunt, Musarum dixit ad Aram  
Cum sacramentû; cupidus sudavit ad amnes  
atq; Aganippæos; SOBOLES cœu chara Parætis  
etre facis (cujus veneranda scientia mentem  
luniat apprimè) O! utinam vestigia lambas  
doctiloqui Patris; plenus sum spèi quod ad illâ  
ervenias sortem, vivis modò longa senectæ  
tempora; si fugias quæ tu nocuisse putabis;  
RAPIS in proprios usus quæ profore credis.  
et quamvis remoram faciat fortuna inimica,  
se desponde animû; sed pergito adire labores;  
et Sanctum Numè precibus reverenter adora;  
et ut in ceptum cedat feliciter omne;  
quod desiderio volo, voto ac poscere longo!  
*ab. Raptim Aboæ* L. Mg. scripsi  
*sa vigilia D: Mich.* SIMON Zälpol  
*Anni 1686.* Met. & Log. Prof. Ord;

Optimorum Parentum filio, spei & expecta-  
tionis haudquaquam vulgaris,

Politissimo

DN. PETRO MILTOPÆO,

Amico meo dilectissimo, dum de mo-  
ralium actionum principiis solerter  
disputat;

THEOGNIS,

Ὅτι γὰρ ἐκ σκύλας πόδα φέσται.

**N**on parit Idaliam volūcrem sibi gar-  
rula cornix,

Nec facile ex squillis punica axista  
potest

Nasci: Sed referunt dulces plerumq̄  
parentes

Pignora, queis virtus, queis honor  
ipse placet.

Judico Te dignum Patrem, Te Patre vi-  
cissim,

Quamlibet hunc cœlum, te tenet usq̄  
solum.

Ex animo gratulatur

AND. WANOCHIUS.

SONNETTO.

Almafers skimrand' prachte/ enst; Phæbi warma  
boning

Slåt lemnat och nu hyre/ den Norra polens  
vråå;

Enhår i Pallas Huus/ der samblat är den Gråd/  
Byr Heliconis brunn' vchöser vrbastening/

J wissdoms älskand' Siäl/ en Socter dryppand'  
Honing /

Den gamla Klot' Apoll', som plägar måh-  
las gråå/

Aonii Lucheklang/ vchsprida kan ändå/  
At de sta' minna gunst/ som dyret at Pindi waning.

Dåsted; har effter fölgt/ den uti wiffhees ried/  
Afflaggia will nu proff; hwa' geh' at man lär sänja?

Su denne bråår vppå sin Sal. Fader idu/  
Hwars högga lärdoms traffe/ ey kund' ior klore  
nöya/

Derfö' och Ahre-minn' bå' Wärgon/Widda/  
Qwåll/

Til Ewigheetens blå/ påminna skal sig Fröya.

Sålunda gratulerar en förtrogen Friends  
berömlige progress

J. B. ästa M. eming.

